



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 41. Henrici IV. Castellæ Regis obitus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

fectus, Regis sui jussis obtemperare recu-
saret, Henricus loco abire, ac Madri-
tum reverti cogebatur; Marchio tamen
interea ad San-Crucem, quæ urbs est
secundo lapide a Turri Julia distans, re-
manebat, ut cum Gratiano de reddenda
urbe ageret, quam ille etiam Marchioni
restituit, oppido S. Felicis in ejus locum
dato, cujus dominium postea Gratianus
in magnanimitatis suæ præmium accepit.
Adhuc de firmandis concordiae legibus
agebatur, cum Marchio ulcere in
faucibus aperto, quod demum in hæmor-
rhagiam degenerabat, e vivis ereptus est.
Ejusdem filius provida sagacitate Patris
mortem celabat, donec conventa utrin-
que executioni data essent. Rex, ut cir-
cumspectam hujus fidem remuneraretur,
eidem omnes Præfecturas, quibus Pater
ejus potiebatur, asseruit, adjecta insuper
suprema oppidi S. Jacobi jurisdictione.

Sæcul. XV.
A.C. 1474.

§. XLI.

Henrici IV. Castellæ Regis obitus.

Hæc fuit postrema Henrici expeditio;
paucis enim post diebus, cum Segob-
iæ cum Ferdinando Rege & Isabella
Infante ambulatum iret, repentinis late-
ris doloribus corripiebatur: cum vero ad
morbi vehementiam nova in dies fieret
accessio, quantocius ad Regiam transferri
debut.

Sæcul. XV. debuit. Populus fati novitate percussus,
 A.C. 1474 venenum Regi propinatum fuisse sparge-
 bat, & confestim publicæ preces, solem-
 nesque supplicationes per universum Re-
 gnum pro recuperanda Regis salute de-
 cernebantur. Enimvero laxata non ni-
 hil morbi vi pristinæ sanitatis spes afful-
 gebat: Quare Ministri propitio hoc tempo-
 ris momento utendum rati, Regem ur-
 gent, ut solidam inter ipsummet & Ferdi-
 nandum Arragonium pacem stabiliret, at-
 que Isabellam Infantem Regni sui hære-
 dem scriberet, id justum æquumque esse
 affirmantes. Verum nullis eorum preci-
 bus ad hoc adduci poterat; unde ingens
 animorum dissensio, ac creberrimæ ex-
 ortæ sunt turbæ, quarum agitatione mor-
 bus adeo ingravescebat, ut Rex Madri-
 tum reverti compulsus, ibidem die Do-
 minica undecima Novembris animam
 Deo redderet, anno ætatis suæ quadra-
 gesimo quinto, Regni vigesimo primo.
 Nullum equidem solemne conscripsit te-
 stamentum; morti tamen proximus a
 Sacerdote, quem a confessionibus habe-
 bat, interrogatus, quem sibi successorem
 nominaret, respondit, se Joannam, velut
 legitimam filiam suam agnoscere, illi pro-
 in Regnum & diadema relinquere. Ve-
 rum hæc declaratio tantum efficere non
 poterat, ut Hispanis persuasum esset,
 quod Joanna legitima Henrici filia fuerit.
 In

In ejusdem laudes plurimum excurrit saecul. XV.
A.C. 1474.
 Rodericus Santius Palentiae in Hispania
 Episcopus, qui etiam in hujus Regis obitu
 historiam suam absolvit. Hunc postea
 Paulus II. Castrum S. Angeli Romae Prae-
 fectum creavit.

§. XLII.

*Diffidium in Castella de Successione
Isabellae.*

Rege Henrico fati functo, atroci bello
 flagrabat Castella. Eo tempore Isa-
 bella Segobiae agebat, quam honorandi
 studio adibant Cardinalis Hispaniae, Al-
 fonsus Henriquez summus militiae apud
 Castellanos Praefectus, Sentillana Mar-
 chio, Dux Albenfis, Regni Connestabilis,
 Cueva Albuquerqueii Dux, Comes de Tre-
 signo, pluresque alii, qui omnes Isabel-
 lam tanquam Castellae & Legionis Re-
 ginam venerabantur. Nec segnius pri-
 mariae Regni urbes suos ad eam able-
 gant Oratores, qui submissionis ac obse-
 quii homagium deferrent. Ex altera
 parte Villena Marchio Pacheconis filius,
 Anevalensis Dux, Rodericus Tellez, Co-
 mes de Aregna, & magnus Calatravae
 Magister Joannam velut Reginam salu-
 tabant. Ferdinandus, qui tum cum Pa-
 tre suo Caesar Augustae haerebat, vix
 com-